

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Disputatio De Sacramentis In Genere

**Andreä, Jacob
Unger, Benedict**

Tubingae, 1573

Disputatio de sacramentis in genere

[urn:nbn:de:bsz:31-128817](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-128817)

I

Disputatio de Sacramentis
in genere.



V Maltera Ecclesiæ nota sit legitimus vsus Sacramentorum, de numero eorundem, & quæ nam ea verè sint & propriè dicantur, noui Testamenti Sacramenta, ordine quærendum erit.

T H E S I S I.

Sacramentum Latinis à sacro dictum, quod aliàs pecuniam significat, à duobus litigantibus apud pontificem depositam, vt qui sponsione vicisset, suam integram auferret, victi verò pecunia ærario vendicaretur. Aliàs verò, quicquid iurisiurandi sacratione interposita gerebatur.

Var. lib. 4. de lingua Latina.

Vocabuli ergo Sacramenti vsus, cum latè pateret, Scriptores Ecclesiastici, non vna & eadem significatio ne perpetuò vsurparunt.

Aug. lib. 10. De ciuit. Dei cap. 5.

Hinc communissimæ illæ Sacramenti definitiones: Sacramentum est sacræ rei signum. Item, Sacramentum est inuisibilis gratiæ visibilis forma.

Non autem ineptè à scriptoribus Ecclesiasticis, ad Mysteriorum Diuinorum significationem relatum est, quibus promissio gratiæ, iureiurando, & re, omni auro & argento precioso, interposita, designatur.

De Sacramentis autem, cum nobis præcipuè nunc dis

A 2 sputatio

sputatio sit, quæ propriè Sacramenta sunt, in primis verò eorundem definitio accuratè tradenda est.

6.

Sacramenti enim nomen omnia signa complectitur, quæ vnquam Deus hominibus signauit, vt de suarum promissionum veritate nos certiores securosq; faceret.

7.

Quorum duplex est ratio. Quædam enim in rebus Naturalibus extare voluit, cuius generis fuerunt, Arbor vitæ in Paradyso, ad fouendam fidem de immortalitate: & cœlestis arcus, Noah & posteritati in monumentum datus, quòd per diluuium posthac non esset perditurus incolas terræ.

8.

Quædam verò in miraculis exhibuit, cuius generis exempla fuerunt: Vellus Gedeonis, quòd Dominus ros re irrigauit, sicca terra, ad pollicendam Gedeoni victoriam: & rursum terram irrorauit intacto vellere. Item umbra Horologij retrorsum decem lineis retracta, ad promittendam Ezechia incolunitatem.

9.

Qua ratione & lotio pedum, à Scriptoribus Ecclesiasticis Sacramentum dicta est, quam Christus discipulis, & suæ erga illos dilectionis, & vicissim illorum, erga se inuicem amoris admonere voluit.

10.

Et fractio panis, qua Christus à discipulis, euntibus in Emaus, agnoscebatur, pari modo Sacramentum ab Augustino appellatur.

11.

Signa enim quoties ad res diuinas pertinent, vt idem

D. Aus

D. Augustinus testatur, Sacramenta appellantur.

Aug. Epistola 7.
ad Marcell.

12.

Sic vetus interpres, quoties vocem *μυστήριον* latinè reddere voluit, præsertim ubi de rebus diuinis agebatur, Sacramentum transfudit. Ephes. 1. Vt notum faceret nobis Sacramentum, voluntatis suæ. Ephes. 3. Quoniam secundum reuelationem, notum mihi factum est Sacramentum. Ephes. 5. Sacramentum hoc magnum est, loquor autem de Christo & Ecclesia.

13.

Ad eum modum plerumque ceremoniæ, in oculos hominum in sacro cœtu incurrentes, augustissima Sacramenti appellatione ornatae fuerunt, ne quid rerum Spiritualium magnitudine inferius dicerent.

14.

Sunt igitur Sacramenta, propriè dicta, Ordinationes diuinæ, in quibus Dominus non modo promissione, ius reiurando confirmata, res in oculos & penè omnes sensus incurrentes proponit, sed vnà cum illis cœlestia dona distribuit, quibus fides in Deum, charitas in proximum, patientia & reliquæ virtutes in electis confirmantur.

15.

Horum omnium solus & vnicus autor est Deus.

16.

Sicut enim in potestate Ecclesie, aut cuiusquam hominis non est, novos articulos fidei condere, sic etiam in nullo hominis potestate est, Sacramenta instituere.

17.

Quòd autem Spiritualia Deus, per corporalia nobis exhibet, eo ipso sese ad nostram infirmitatem demittit.

A 3 Nam

Disputatio de Sacra-

4

*Hom. 60. ad po-
pulum.*

Nam si incorporei essemus, vt Chrysoſtomus ait, nuda
& incorporea nobis hæc daret.

18.

Conſtat autem Sacramentum propriè dictum, exterio-
no Elemento & verbo promiſſionis, quo Deus gratiam
ſuam nobis pollicetur, & peccatorum remiſſionem ſan-
guine ſuo partam obſignat.

19.

*In Ioan. Hom.
80. lib. 19. cont.
Faust.*

Hinc D. Auguſtinus Sacramenta viſibilia verba ap-
pellat, quod verbum Dei in his non modo audiatur, ſed
voluntate ſua quaſi in tabulis depicta, imbecillitati fidei
noſtræ ſatisfacere voluit.

20.

Eorum duplex eſt ratio: quædam enim res abſentes
adumbrant: quædam verò præſentes vnà cum Elementis,
verè & realiter exhibebant.

21.

Quo nomine conſpicuum eſt, Sacramentorũ veteris
& noui Teſtamenti diſcrimen, quòd illa Chriſtum ſecun-
dum carnem ſignificabant, hæc verò corpus Eccleſiæ ex-
hibent.

22.

Verbum autem Dei intelligimus non paucarum vo-
cum prononciationem, ſed planam & integram inſtitu-
tionem, qua voluntati & ordinationi Diuinæ ſatiſſiat.

23.

*Aug. Hom. 13.
in Ioan.*

Sic verba D. Auguſtini intelligenda ſunt: Accedat
verbum ad Elementum, & fiet Sacramentum.

24.

Diligenter igitur, quid Chriſtus fecerit, quid nos face-
re mandauerit, quid Apoſtoli ſint ſecuti, quid prima Ec-
cleſia obſeruauerit, attendendum eſt.

25. Nam

25.

Nam & quæ verè & propriè Sacramenta esse videntur, cum ab institutione Christi receditur, pro Sacramentis minimè habenda sunt.

26.

Cæremonia enim, quæ extra & præter verbum Dei instituitur, rationem Sacramenti non habet.

27.

Sic sacrificia, quæ non in loco debito offerebantur, verbo Domino ad Tabernaculum testimonij alligata, non Deo, sed dæmonijs immolabantur.

28.

Est & hoc diligenter obseruandum, Scriptores Ecclesiasticos, Sacramenti vocabulo, cum de Sacramētis propriè sic dictis disputant, aliter atq; aliter vsos esse.

29.

Aliàs enim propriè vsurpant, quando videlicet simul & signum & rem verbo signatam significat, Aliàs verò minus propriè, cum signo tantum tribuitur.

30.

Sic & per rem Sacramenti, non vnum & idem semper intelligunt, interdum enim res Sacramenti, eam partem illis significat, quæ ad substantiam Sacramenti pertinet, vt in Sacramento Baptismi Spiritum sanctum, in cœna Domini corpus & sanguinem Christi: interdum verò fructum, quem inde fideles percipiunt, in Baptismo regenerationem, in Cœna Dominica viuificationem.

31.

Quæ ideo obseruanda sunt, ne errore decepti, substantiam Sacramentorum, à dignitate & fide sumentis aut distribuentis dependere falsò existimemus.

32. Sacra

32.

Sacramentorum enim noui Testamenti substantia, nō dignitate & fide sumentis, sed verbo instituentis nititur Christi, qui omnium Sacramentorum noui Testamenti corpus est & veritas, Sacramentis verē præsens, qui etiā omnia in credentibus præsens operatur.

33.

*Aug Hom. 13.
in Ioan.*

Etsi igitur in perceptione fructus Sacramentorum, fides necessario requiritur (iuxta illud Augustini: Vnde enim ista tanta virtus aquæ? vt corpus tangat & cor abluat: nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur: Nam & in ipso verbo, aliud est sonus transiens, aliud virtus manens) substantia tamen Sacramentorum, nequaquam in fide percipientis, sed in sola institutione Diuina fundata est, quorum veritas constat, etiam si fructum homines non consequantur, iuxta illud: Solus Deus verax, omnis homo mendax, qui seipsum negare non potest.

*Rom. 3.
2. Tim. 2.*

34.

Vnio autem cum sit (omnium Ecclesiasticorum scriptorum magno cum consensu) signi & signati in Sacramentis, quam Sacramentalem appellant, ea quoque ita explicanda est, ne aut separatio fiat sacrilega, aut Idolatriæ officina constituitur.

35.

Qui enim signi & signati separationem faciunt, quæ verbo institutionis sunt vnita & copulata, Ecclesiæ Dei pro nucleo putamen obtrudunt.

36.

Qui verò legitimum vsum Sacramentorum non retinent, & rem Sacramenti nihilominus signis alligant, in
Magorum

Magorum & Incantatorum castra concedunt, virtutem verborum recitationi tribuentes, quæ solius Christi institutioni adscribenda est.

57.

Duo autem tantum sunt novi Testamenti proprie dicta Sacramenta, iuxta illud Augustini: A resurrectione Domini, quædam pauca signa pro multis, eademque factu facilima, intellectu augustissima, obseruatione castissima, ipse Dominus & Apostolica tradidit disciplina, sicuti est Baptismus, & celebratio corporis & sanguinis Domini.

*Aug de Doct.
Chr. lib. 3. Cap. 9.*

38.

Quanquam autem multi sunt fines Sacramentorum, tamen longè omnibus anteferendus est hic principalis finis, quod sint signa voluntatis Dei erga nos, quibus Deus de sua voluntate efficacissime testatur.

39.

Deinde accedunt alij, qui sunt: Confessio, discrimen à cæteris sectis, publici conuentus, celebritas, admonitio de multis officijs, de gratiarum actione Deo præstanda, & mutua benevolentia membrorum Ecclesiæ, quæ vsu Sacramentorum alitur & confirmatur.

40.

Quemadmodum enim Sacramenta sunt gratiæ, & salutis testimonia nobis à Domino, sic à nobis etiam sunt professionis notæ, quibus palam in nomen Dei iuramus, & fidem illi vicissim nostram obstringimus.

41.

Siquidem Sacramentis Deus populum suum vult exerceri ad fidem fouendam, excitandam, confirmandam & apud homines religionem testificandam.

B

42. Dams

42.

Damnanda ergo Anabaptistarum opinio, qui asserunt: Sacramenta esse tantum professionis & discretio- nis signa vel notas, quibus Christiani à non Christianis discernuntur.

43.

Non minus reprehendenda est Enthusiastarum fasci- natio, qua affirmant, Spiritus sancti reuelationem suffi- cere, nec vsum Sacramentorum magnopere vrgendum esse.

44.

Damnandus etiam Schuuenckfeldij error, qui negat: Sacramenta à Christo instituta, esse organa, per quæ Do- minus gratiæ suæ dona in nos effundat.

45.

Damnandus quoq; Papistarum error, qui non plura nec pauciora, quam septem noui Testamenti agnoscunt Sacramenta, videlicet Baptismum, Confirmationem, Eu- charistiam, Pœnitentiam, Vnctionem extremam, Ordinis, & Coniugium.

46.

Pugnat & cum vero vfu Sacramentorum opinio, qua asseritur: Sacramenta ex opere operato, sine bono mo- tu vtentis, hoc est, sine vera fide, prodesse.

47.

Etsi enim substantia Sacramentorum à fide sumentis aut distribuentis non pender, nemini tamen nisi fidelibus & verè credentibus profunt, cum promissio gratiæ sola fide recipiatur, qua destituti, etiam gratia Sacra- mentorum priuantur.

48. Errant

48.

Errant etiam vehementer, qui rarò aut nunquam ad
Sacramentum Ecclesiæ accedentes, eandem gratiam
Dei sibi perpetuò præsentem esse fingunt.

49.

Quamvis enim idem sit Christus extra Sacramenta,
& in Sacramentis, alia tamen ipsius est, & beneficiorum
eius in usu Sacramentorum quàm extra illam *κοινωνία*:
quæ aliter atq; aliter verbo Christi definita, etis
am diuersa, & non eadem ratione
nobis confertur.

FINIS.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

F I N I S

I
D
P
VER
R. O.
Theolo
Tubing
que P
i